



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

2 Vtrum præsumptio sit peccatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

ARTICVLVS II. **Q**UAESTIO XXI. **V**trum praesumptio sit peccatum.

**A**D SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quod praesumptio non sit peccatum. Nullum enim peccatum est rō, quod homo exaudiatur a Deo, sed per praesumptionem aliqui exaudiuntur a Deo. Dicit enim Iudith 9. Exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia praesumens: ergo praesumptio de diuina misericordia non est peccatum.

**3** Præ. Id quod est peccatum, non excusat a peccato, sed praesumptio excusat a peccato: dicit enim Magister 22. dist. secundi lib. 3. sententiarum, quod Adam minus peccauit, quia sub spe ueniae peccauit: quod uidetur ad praesumptionem pertinere: ergo praesumptio non est peccatum.

**S**ED CONTRA est, quod ponitur species peccati in Spiritu sancto.

**R**ESPON. Dicendum, quod sicut supra dictum est, circa desperationem, omnis motus appetitiuus, qui conformiter se habet ad intellectum saluum, secundum se malus est, & peccatum. Praesumptio autem est motus appetitiuus, quia importat quandam spei inordinatam: habet autem se conformiter intellectui saluo, sicut & desperatio. Sicut enim saluum est, quod deus penitentibus non indulget, nec quod peccantes ad penitentiam non conuertat, ita fallum est, quod in peccato perseverantibus ueniam concedat, & a bono cessantibus opere gloriam largiatur, cui existimatio conformiter se habet praesumptionis motus. Et ideo praesumptio est peccatum, minus tamen quam desperatio, quoniam magis proprium est Deo misereri & parcere, quam punire, propter eius infinitam bonitatem: istud enim secundum se Deo conuenit, hoc autem secundum nostra peccata.

**A**D PRIMUM ergo dicendum, quod praesumere ponitur aliquando pro sperare, quia ipsa spes recta, quae habetur de Deo, praesumptio uidetur, si mensuretur secundum conditionem humanam, non autem est praesumptio, si attendatur immensitas diuinae bonitatis.

**A**D SECVNDVM Dicendum, quod praesumptio non importat superexcessum spei ex hoc, quod aliquis minus sperat de Deo, sed ex hoc, quod sperat de Deo aliquid, quod Deo non conuenit, quod etiam est minus sperare de Deo, quia hoc est eius uirtutem quodammodo diminueret, ut dictum est.

**A**D TERTIVM Dicendum, quod peccare eum proposito perseverandi in peccato sub spe ueniae, ad praesumptionem pertinet. Et hoc non dimittit, sed auget peccatum. Peccare autem sub spe ueniae quantum doque percipiende eum proposito abstinendi a peccato, & penitendi de peccato, hoc non est praesumptio: sed hoc peccatum dimittit, quia per hoc uidetur habere uoluntatem minus firmatam ad peccandum.

ARTICVLVS III.

**V**trum praesumptio magis opponatur timori, quam spei.

**A**D TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod praesumptio magis opponatur timori, quam spei. Inordinatio enim timoris opponitur recto timori: sed praesumptio uidetur ad inordinationem timoris pertinere. dicitur enim Sap. 17. Semper praesumptio mitis a perturbata conscientia. & ibidem dicitur, quod timor est praesumptionis adiutorium: ergo praesumptio opponitur timori magis, quam spei.

**2** Præ. Contraria sunt, quae maximè distant: sed praesumptio magis distat a timore, quam a spe, quia praesumptio importat motum ad rem, sicut & spes, timor autem motum a re: ergo praesumptio magis contrariatur timori, quam spei.

**3** Præ. Praesumptio totaliter excludit timorem, non autem totaliter excludit spem, sed solum certitudinem spei. cum ergo opposita sint, quae se interminuunt, uidetur quod praesumptio magis opponatur timori, quam spei.

**S**ED CONTRA est, quod duo inuicem opposita uirtutis contrariantur uni uirtuti, sicut timiditas, & audacia fortitudini: sed peccatum praesumptionis contrariatur peccato desperationis, quod directe opponitur spei: ergo uidetur quod etiam praesumptio directius spei opponatur.

**R**ESPON. Dicendum, quod sicut Aug. dicit in 4. contra Iulianum. Omnibus uirtutibus non solum sunt uirtutes, manifesta discretione contraria, sicut prudentia temeritas: uerum & uirtutes quodammodo non uecitate, sed quae ad speciem fallente similia, sicut prudentia astutia. Et hoc etiam philosophus dicit in 2. Ethic. Quod uirtus maiorem conuenientiam uideatur habere cum uno oppositorum uitiōrum, quam cum alio, sicut temperantia cum insensibilitate, & fortitudo cum audacia. Praesumptio ergo manifestam oppositionem uidetur habere ad timorem, proprie seruilem, cui respicit penam ex Dei iustitia prouenientem, cuius praesumptio remissionem sperat: sed secundum fallam similitudinem magis contrariatur spei, quia importat quandam inordinatam spem de Deo. Et quia directius aliqua opponuntur, quae sunt unius generis, quam quae sunt generum diuersorum (nam contraria sunt in eodem genere) ideo directius praesumptio opponitur spei, quam timori. Vtrumque enim respicit idem obiectum, cui innititur, sed spes ordinate, praesumptio inordinate.

**A**D PRIMUM ergo dicendum, quod spes abusive dicitur de malo, proprie autem de bono: ita etiam praesumptio. Et secundum hunc modum inordinatio timoris praesumptio dicitur.

**A**D SECVNDVM dicendum, quod contraria sunt, quae maximè distant in eodem genere. Praesumptio autem, & spes important motum eiusdem generis, qui potest esse uel ordinatus, uel inordinatus. Et ideo praesumptio directius contrariatur spei, quam timori. Nam spei contrariatur ratione propriae differentiae, sicut inordinatum ordinato. Timori autem contrariatur ratione differentiae sui generis, scilicet motus spei.

**A**D TERTIVM dicendum, quod praesumptio contrariatur timori contrarietate generis: uirtuti autem spei contrarietate differentiae. Ideo praesumptio totaliter excludit timorem etiam secundum genus. Spem autem non excludit, nisi ratione differentiae, excludendo eius ordinationem.